

B. M. II, ii.
h. 24,9.

(X1878946)

II K
4294

DISSERTATIO
AD
CAPITULATIONEM JOSEPHI RO-
MANORUM REGIS AUGUSTI
OCCASIONE ARTICVLI I.

JURE ET OFFICIO
REGIS ROMANORUM CIRCA
ADVOCATIAM ECCLESIAE
QUAM

MODERANTE TRIVNO DEO
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO
ET CONSULTISSIMO

DN. FRIDERICO NITZSCHIO

PHIL. ET U. J. DOCT. PROFESSORE IN HAC
ALMA LUDOVICIANA ORDINARIO, COMIT. PALAT. CÆ-

SAR. ET CONSILIARIO HASSIACO GRAVISSIMO.

PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO

OMNI HONORIS ET OBSE^{QVII} CULTV AETA-
TEM DEVENERANDO.

VENTILATIONI ERUDITORUM

SUBJICIT.

AD DIEM APRILIS M DCC.
J. GOTO FR. CHRISTOPH. HERTIUS
BUTISBACENSIS.

GISSÆ CATTORVM

Excvd. JOHANNES REINHARDVS VULPIVS, Acad. Typ.



VIRO
CONSULTISSIMO
DOMINO
JOH. NICOLAO HERTIO
ANTECESSORI IN HAC ILLU-
STRI UNIVERSITATE LUDOVICIANA
CELEBERRIMO.

PARENTI
DILECTISSIMO
DN. JO. CHRISTOPH. HERTIO
MEDICINÆ DOCTORI HUJUS-
QUE IN HAC ACADEMIA PROFESSORI
ET ARCHIATRO HASSO-DARMSTADINO PRIMARIO.

VIRO
PER-REVERENDO
DN. M. PHILIP. JACOBO HERTIO
MINISTRO ECCLESIAE NIDERCLEENSIS
MERITISSIMO
DNN. PATRUIS ET PARENTI.

Patribus, Studiorum morumque Directoribus æternum venerandis
& longè Dilectissimis.

Dissertationem hanc
confecrat
Nepos & Filius
devotissimus
RESPONDENS.





JO. GOTOFR. CHRISTOPH. HERTIO,

*Gentilem Gloriam ingenua Virtute, suavissimis
Moribus, atq; insigni Doctrina
exornanti,*

FRIDERICUS LUDOVICUS WALDNER
DE FREUNDSTEIN

S. P. D.

CUM omnes mihi singulari quadam ac præcipua laude digni-
videtur, qui animum ad honestarum artium studia adjun-
gunt, tum ii imprimis, qui virtutis via ad immortalitatem gras-
fantes in aſſequenda non dico, sed fruenda Prudentia Divini hu-
manique juris omnes suas operas, curas, cogitationes, mentem
denique omnem collocatunt. Bonienim & æqui notitiam pro-
fitentur: æquum ab iniquo separantes: licitum ab illico discer-
nentes: bonos non solum metu poenarum, verum etiam præ-
miorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram, nisi
fallor, philosophiam, non simulatam affectant. Hujus autem stu-
dii cum duæ sint positiones; publicum & privatum: priyatūm,
quod ad singulorum utilitatem spectat; publicum, quod ad sta-
tum

tum Reip., ac in Sacris, in Sacerdotibus, in magistratibus consti-
tit: qui utrumque capaci mente complexus est, quo eum stu-
dio prosequendum, qua laude condecorandum putemus? cum
in privato jure cavere, consilio juvare atque hoc scientiae genere
prodeesse quam plurimis, Romani Consulis sententiâ, vchemen-
ter & ad opes augendas pertineat & ad gratiam. Illud igitur, No-
biliſſime Herti, denique adhuc restabat, ut, postquam in publica
disputatione, Moderatore JOANNE NICOLA O emi-
nentissimæ eruditioñis Viro, & JCto Summo, Patruo Tuo, de
elegantissimo ex Civili Quiritium jure argumento docte & sub-
tiliter disceptasti, denuo in orchestrā descendens, quales
quantosque in publico jure, quo in Imperio utimur, fecisses pro-
fectus, propalam ostenderes. Id cum in præsentiarum Duce &
Auctore Viro celebratissimo FRIDERICO NITZSCHIO,
JCto omni laudum præconio majore præstes, liquido ominari
licet, Te, jam nunc toto legitimo opere perfecto, mox summis,
quos integer vitæ scelerisque purus, omnigenæ item eruditioñis
genere excultum pectus habens promerteris, esse mactandum, at-
que sic à clarissimis Parentibus Agnatisque acceptam pulchre
coruscā lampada, cum insigni splendore, posteris traditurum.
Quo Tibi nomine haud sane paulo plus, quam verbis assequi
licet, gratulor: nec vero Tibi solum, sed familiæ tuæ universæ,
cui hac tua virtutis, ingenii, doctrinæque prærogativa magnum
decus ornamentumque accedit: meumque in Te amorem, hac
dextra, supremo fiduci argumento, serio testor & obsigno. Tu
me velim ames mutuo. Vale. Gissæ Cattorum a. d. 3.

Aprilis Anno Christiano M DCC.



COMMENTATIO
AD
CAPITULATIONEM
JOSEPHI
ROMANORUM REGIS
AUGUSTI,

ET QVIDEM AD EIVSDEM

ARTIC. I.

DE

IVRE ET OFFICIO REGIS ROMANO-
RVM CIRCA ADVOCATIAM ECCLESIE.

CAPUT I.

DE ADVOCATIA ARMATA
IN GENERE.

I. A dvocatiæ armatæ definitio 1.
Defensor vocatur Advocatus,
Patronus , Protector , De-
fensus vero Cliens. 2.

Jus dicitur vel Clientelare vel
Advocatiæ, diverso nim. respe-
ctu 3.

Hujus Synonyma Jus Protectionis
Schutz oder Schirms; Ge-

rechtfkeit/Vorspruch/Vog-
ten 4.

Item Mundiburdum vel Mun-
deburda; Cuius vocis origo 5.

Bormund unde dicatur? 6.

Item Unmundig? 7.

Mundiburdum denotat Jus de-
fensionis Ecclesiastica. 8.

Quid Mundbur apud Rationa-
rios?

A

II. Advo-

CAP. I. DE ADVOCATIA ARMATA

Advocati Synonyma Germanica,
Schutz-Herr / Mund-Herr /
Vogt. 10.

Imperator dicitur Vogt der Chris-
tenheit 11.

Unde derivetur vox Vogt? 12.

Cientes dicuntur, Schutz-Vero-
Verwandte/Mundleute 13.

III. Ius Advocatiae locum habet in-
ter aequales & qui in Stato Natu-
rali vivunt. 14.

Habet locum circa subjectionem 15.

Cliens defenditur saltem contra
vim injustam 16.

Banno Imperiali notatum Advo-
catus non tenetur defendere 17.

Ita ut defendens teneatur ad inter-
esse 18.

Nec armis defendere licet quando
jure potest 19.

IV. Advocatus etiam Scriptis, lega-
tionibus & intercessionibus de-
fendere potest 20.

Ad arma non nisi necessitate ur-
gente deveniendum 21.

Advocatus non magis tenetur de-
fendere Clientem, quam semet-
ipsu[m]. 22.

Protectoribus datur salaryum seu
Schutz-Geld / Mund-Geld /

23.

Interdum jus hoc est gratuitum, &
quando? 24.

Debetur tamen obsequium & re-
verentia Patrono 25.

Uti & sumptus defensionis 26.

V. Advocatia dividitur (1.) in To-
gatam & Armamatam 27.

Licet Haec non semper praestetur
armis. 28.

Imo nec semper armis praestari de-
beat. 29.

Quare dicatur Armata 30.

(2.) in Legalem vel Conventio-
nalem. 31.

(3.) Porro in Causalem & Forma-
lem 32.

(4.) in Ecclesiasticam & Secu-
larem. 33.

Quid Rasten? Vogten? 34.

(5.) Dividitur in Simplicem &
Administratoriam 35.

(6.) Dividitur Advocatia Eccle-
siastica in Universalem & Par-
ticularem. 36.

Quae differt (7.) ab illâ, quando di-
viditur in generalem & specia-
lem. 37.

(8.) Plures divisiones remissive.
38.

I.

1.  Advocatia est nihil aliud quam Ius seu Officium defendendi
alium imbecillorem contra vim injustam; Unde etiam
talis Defensor vocatur Advocatus, qui in consilium
& auxilium, seu ad defendendum advocatur, juxta
Cujac.

IN GENERE.

Cujac. in Parat. Cod. de Advoc. div. Iud. Et Patronus, Protector, quemadmodum contra Ille, qui defenditur, Cliens, & Jus ipsum, 3.
Ius Clientelare dicitur ; Ita ut illa denominatio, *Ius Advocatiae*, à Subiecto Activo ; *Hæc verò à Passivo* sit delumpta. Illius Synonyma sunt *Jus Protectionis & Defensionis*, Germanicè 4.
 Schutz- oder Schirms - Gerechtigkeit / Vorspruch oder Versprechmiss ; Item Vogtey / & voce Germanicæ Originis Mundium 5. vel Mundiburdum seu Mundeburda, Germanicè Mundburd dicitur. Quæ vox , uti tutelam seu Onus tutelæ Pupillorum primum, à vocibus Mund & Bürde/denotat, sicuti ex Lege illâ Salicâ : *Si quis ingenuam Puellam de Mundeburde, id est, è tutelâ abstulerit, patet.* Unde Vermund / & olim Mundwalt / Tutor, 6. quasi Os Pupilli dicitur, weil Er Ihn verspricht oder den Vorspruch vor Ihn thue / und sein Vorsprecher / Advocat und Defensor ist ; Pupillus verò Unmündig / Mundlein vocatur, der sich selbst nicht versprechen oder defendiren kan ; Item der noch nicht Mundbar / oder frey von eines andern Mund oder Vorspruch ist ; Ita postea 8. ad Tutelam & Defensionem publicam est translatum, ita ut Mundiburdum denotet Onus seu *Ius defensionis Ecclesiasticae* ; Unde in Constitutione Ludovici Junioris de Pace Confluent. §. 15. legimus : *Volumus ut Ecclesia, & Casa Dei, & Episcopi, & Dei Homines, Clerici & Monachi & Nonnæ, talem Mundeburdem & Honorem habeant, sicut tempore Antecessorum nostrorum habuerunt;* apud Goldast. Tom. un. pag. 16. Quemadmodum in Diplomatibus Advocatæ Ecclesiasticæ, quorum nonnulla habet Mager. de Advoc. arm. cap. 2. num. 266. seqq. passim legimus Mundiburdum, Mundherr Mundmann / Mundleute / Mundgelt / & similia ; Et in Rationibus hujus Giessenæ Censuarios illos , qui nomine Consortum censum debitum solvere promittunt, Mundbur seu Mundburd dicimus, die andere versprechen / oder von ihren Mit-Censitenden Zins schaffen / oder zuschaffen versprechen. Add Magerum de Advocatia Armata cap. 2. n. 245. seqq. Goldast. in Ration. de Pac. Confluent. pag. 22.

A 2

§. II. Ad-

CAP. I. DE ADVOCATIA ARMATA

- ¶ 2. Advocatus Germanicè dicitur, Schutz- oder
10. Schirm-HErr; Item Mund-Herr/oder Mundmann / Item der
Vogt. Vnde etiam in Rec. Imp. de An. 1530. §. Nachdem aber uns
11. 10. Imperator vocatur der Oberste Vogt der Christenheit / & in
Weichbilde Saxonico art. 8. legitur: Der Käyser soll dem Stul
zu Rom fürstehen / von S. Peters wegen / davon er auch Römischer
12. Vogt heisset; Et videtur hæc vox Latinæ esse originis, & à voce
Advocati nāl & palpebriv esse deducta, juxta Goldast. in Script. Rer.
Aleman. Tom. 1. part. 1. pag 131. Quamvis non ignorem, alios
cum Hoppingio dissert. de Jure Protect. ih. 15. lit. A. à Græco
Boydaw, quod idem est ac opem fero, patrocinor, unde & Boydaw,
13. Adjutor, vocem derivare; Clientes contra Germanicè vocan-
tur Schirm-oder Schirms-Verwandle / Schirms-Genossen
Mund-Leute sc.
14. §. 3. Habet jus Protectionis seu Advocatiae in primis lo-
cum originaliter inter illos, qui æquales sunt invicem, & in Statu
Naturali vivunt, alter tamen est imbecillior viribus, quam ut ad-
15. versus validiores eum in vasuros defendere se queat: Unde salvâ
libertate & citra subjectionem, immo salvâ sæpè æqualitate, sub pa-
sto se defendendi, se in alterius Clientelam seu Protectionem
dat; Ideoque ex Jure Clientelari, ut tali, nulla sequitur sub-
jectio, sed vulgatum illud obtinet: Schutz und Schirms. Ges-
rechtigkeit gibt keine Obrigkeit / cap. 13. in fin. cap. 8. X. de Pri-
91. vileg. & L. 7. §. 1. ff. de Captiu. Defendendus vero Cliens est,
16. ut in definitione dicitur, contra vim injustam. Unde ubi Cliens
licite offendi potest, qualis est, qui Banno Imperiali est notatus,
per Ord. Cam. part. 2. Tit. 9. §. 2. Patrono fas non est, cum de-
fendere, L. Rem non novam 14. §. 1. C. de Judic. cap. Brevi 17. X.
de Jure jur. Menochi, in Arb. Quest. cent. 5, cas. 494. num. 13. seqq.
17. adeò ut Adversariis ad damni emendationem tenetur, per ea quæ
allegat Mager. de Advoc. arm. cap. 11. num. 495. Ubi cunque enim
offensio licita est, ibi defensio illicita censetur Gloss. in L. ut vim
& ibi

& ibi Dd. ff. de Just. c. I. Quemadmodum si Cliens jure experi-^{9.}
ti poterit, nec Patrono armis licet Clientem defendere, cum
Advocatus non plus habere Juris, quam Cliens possit, uti pro-
bant Maul. de Homag. Tit. II. num. 12. Myler. de Princip. cap. 18.
th. 12.

§. 4. Defensio enim illa sit tamen scriptis, Legationibus &^{20.}
intercessionibus, quam etiam armis. Ut enim omnia consilio^{21.}
prius experiri, quam ad arma devenire, sapientem decet; Et sic^{22.}
uti Augustinus inquit: Bellum est necessitatis, ut liberet Deus à ne-
cessitate, & conservet in pace. Non enim pax queritur, ut bellum ex-
erceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur c. noli 3. c. 23. qu. 1.
Ita idem etiam in defendendo Cliente observandum venit, cum
si Protectores eo, quo se ipsos vel suos tueri solent & possunt,
modo, Clientem defendunt, officio suo satis omnino fecere.
Unde etiam Tabulis Clientelaribus hæc verba inserta leguntur:
Darumb sollen wir Sie / Ihre Leute und Guß / schützen und
schirmen/ als unsere selbst Leute und Guß. Vid. Mager. de Advoc.
arm. cap. II. num. 225. seqq. Præstatur vero Protectoribus in^{23.}
præmium & recognitionem Protectionis certum non unquam
Salarium annum, quod vocatur das Schuß oder Schirmgeld;
Item, Mundgeld/vorspruchgeld. Quamvis & gratuitum sit hoc^{24.}
jus, maximè si temporale est, si enim perpetuum est & hæreditati-
rium ein Erb, Schuß / salarium illud regulariter præstari solet.^{25.}
Utroque tamen casu Patrono semper debetur obsequium & re-
verentia l. 2. l. 7. § ult. ff. de Obseq. Patr. & Patr. præst. Novell. 78.
cap. 2. junct. Auth. sed Hodie C. de Iur. Aur. annul. Quemad.^{26.}
modum & utrobiq; defensionem Sumptibus Clientis præstat, Uti
latè probat Mager. de Advoc. arm. cap. 14. n. 326. 369. seqq.

§. 5. Dividitur Advocatia variè, & quidem (i.) ratione
formæ & modi in Togatam, quæ in foro coram Judicio præsta-
tur, quæ hujus loci non est; & Armatam quæ armis præstatur;
Non quod semper & tantum armis præstari debeat, cum Patro-

nus præter arma etiam scriptis & Pacis remediis defendere Cli-
 29 entem debeat, uti §. præced. probavimus. Si enim nec Suum
 ipsius defensio armata est concessa, ubijure experiri & Pacis re-
 mediis impetrare licet, quod justum est; Ita nec alterius defen-
 sio aliter est licita; cum Advocatia ad modum propriæ defensio-
 nis sit introducta, dum Protectores eo quo scipios vel suos tueri
 solent modo, Clientes quoque defendere tenentur vid. Me-
 30 noch. Consil. 99. n. 35. & 39. Sed potius denominatio illa est
 à potissimo analogato desumpta, cùm potius est, armis & pilo,
 31 quām stylo defendere. (2.) Dividitur Advocatia ratione *Causæ*
Efficientis in Legalem & Conventionalem. Illa dicitur quam
 quis Lege, eaque siye scriptā sive non scriptā, seu consuetudine
 habet, qualis est quæ Imperatori & Regi Romanorum respectu
 Ecclesiæ competit, quam generalem dicit *Limnaeus ad Art. I.*
Cap. Caroli V. ad voc. Die Kirchen als derselben Advocat; quod
 officii ratione præstetur; Hæc verò, quæ pacto seu conventione
 & stipulatione est inita, quam *Limnaeus d. l. specialem* vocat. Et
 32 quoniam Advocatia seu defensio præstatur non tantum Subdi-
 tis & jure Principis, sed etiam non subditis, imò & æqualibus, uti
 supra dictum, hinc etiam ratione *Causæ Efficientis* dividi potest
 33 (3.) in *causalem*, quam Princeps suis præstat, & *formalem* quæ ex
 pacto præstatur Non-subditis. (4.) Dividitur ratione *Objecti in*
Ecclesiasticam & Secularem, quatenus vel Ecclesiæ seu rei Ecclesi-
 sticæ, vel Laico præstatur, sicuti hæc divisio in *cap. Ex parte 18.*
 34 *X. de Privileg.* fundatur. Quæ ipsa quatenus non in simplici
 defensione subsistit, sed simul cum Administratione est conjun-
 cta, *Administratoria* vocatur. Germanicè Rästen Vogtey /
 dum Æcarium Ecclesiasticum Germanis Metonymicè vocatur
 35 der Rästen; Unde (5.) nata est divisio Advocatiae in primis Ec-
 clesiasticæ in *Simplicem & Administratoriam* de quâ *Thomas Mi-*
chaël de Jurisdict. Concl. 55. & Mager de Advoc. Arm. cap. 3. n. 171.
 36 Quemadmodum & (6.) porrò Advocatia Ecclesiastica occasio-
 ne arri-

ne Articuli nostri, ratione Objecti subdistingui poterit in *Universalem* quæ debetur & præstatur toti Christianæ Gentil; & *Particularem*, quæ incumbit Imperatoris ratione Ecclesiæ sive Romano-Catholicæ sive etiam Evangelicæ; de quâ Plura dicemus infra.
A quâ differt illa à causâ Efficiente petita quando dividitur (7.)³⁷ in *Generalem*, quæ officii ratione & jure Principis præstatur ex obligatione speciali, juramenti puta, vel simili; Prout Carolus Magnus, aliique Imperatores olim Pontifici juramentum Protectionis præstitere, de quo vide quæ habet *Limnaeus ad Capit. Caroli V. art. 1. ad voc.* *Die Kirchen als derselben Advocat.* n. 4. seqq.

Quod (8.) reliquas divisiones attinet, quando Advocatia dividitur in *Propriam* & *Delegatam*, in *simplicem* & *Jurisdictionalem*, in *temporalem* & *hereditariam*, in *publicam* & *privatam*, illas, cùm ad præsentem materiam non æquè faciant, lubens prætereo, & ad *Mag. cap. 3.* remitto.

CAPUT II.

DE ADVOCATIA ECCLESIÆ UNIVERSALIS REGIS ROMANORVM.

I. *Advocatia quare dicatur officium, & Jus?* 1.

Quæ Advocatia Ecclesiæ universalis, quæ particularis? 2.

Limnaeus aliter explicat. 3.

Quæ Advocatia Ipsi Generalis, quæ Specialis? 4.

II. *Quæ distinctio probatur, sed applicatio negatur.* 5.

Advocatia Ecclesiæ Universalis assertur Regi Romanorum. 6.

(1.) *Ex Textu Capitulationum.* 6.

(2.) *Ex Aureâ Bullâ.* 7.

(3.) *Ex Recessibus Imperii.* 8.

(4.) *Ex ratione naturali.* 9.

(5.) *Ex ratione Theologicâ.* 10.

III. *Objicitur ratio dubitandi ex defectu Potestatis.* 11.

Ad quam respondetur. 12.

Imperator inter omnes Mundi Principes præfulget. 13.

Quod agnoscit etiā Turcarum Imperator. 14.

Cateri

2 CAP. II. DE ADVOCAT. ECCLESIAE.

Cæteri Reges sunt quasi quidam
Rami à stirpe avulsi. 15.

Alphonsi Regis Arrogoniae Di-
ctum. 16.

Quod Gallici Scriptores nonnulli
obstrepere solent, hactenus est si-
ne effectu. 17.

Et contrarium probant Actus pos-
sessorii. 18.

Advocatiæ jus non supponit Sub-
jectionem, sed saltem præroga-
tivam dignitatis. 19.

IV. Advocatia universalis consistit
in Conservatione Pacis & Con-
cordiæ Ecclesiæ. 20.

Non se extendit ad Curam Bono-
rum Ecclesiæ. 21.

Pax Ecclesiæ turbatur ab Inimi-
cis internis æquè ac externis.
22.

Etiam Advocatia circa Hostes Ec-
clesiæ internos adhibita spectat
ad Potestatem Principis exter-
nam. 23.

§. I.

1 Consideratō Advocatiæ jure in genere, Ejusque definitione
variisque divisionibus breviter perpensis, ad jus vel officium
Advocatiæ Regis Romanorum Majesticum, quod Ecclesiæ
Christianæ præstat & debet, de quo in Articulo I. Capitulationum
disponitur, progressum facimus. Quatenus enim ad Advocatiam
obligatur Imperator seu Rex Romanorum, Officium est; quatenus
verò Ipsa præ aliis Regibus & Principibus Eadem incumbit, defen-
sionemq; ipsam, requisitis observatis obire, potestateq; Faculta-
tis naturam subit, etiam Juris nomine venit. vid. quæ hanc in rem
dicta supra ad Proæm. c. 5. n. 6. Eamq; in cap. preced. §. ult. non im-
merito in Universalem & Particularem distinximus. Univer-
salis est, quæ toti Christianæ genti debetur; & Particularis, quæ
Imperatori seu Regi Romanorum ratione Ecclesiæ Christianæ in Im-
perio incumbit. Quamvis enim Limnaeus ad Capit. Caroli V. art.
3 i. ad voc. Die Kirchen als derselben Advocat. n. 9. Advo-
ciam illam Ecclesiæ Universalis seu Religionis Christianæ nega-
re videatur, & Generalitatem non tam *objectivè*, quam *ratione
causa efficientis* explicare velit, ut scilicet Imperatorem, seu Re-
gem Romanorum, Generalem Ecclesiæ Advocatum Officiatione
dicat,

dicat , quatenus defensionem eidem ut Imperator & summus Magistratus debet ; *specialem* verò quatenus Imperator olim etiam præstito juramento Ecclesiam specialiter in Tutelam recepit , quod juramentum protectionis est , illam tamen opinionem ne utiquam approbare possumus .

§. 2. Nam quamvis divisionem Advocatiæ in generali , quam Princeps officii ratione , & specialem quam ratione obligationis specialis præstat , non rejiciendam sed omnino approbandam putemus , prout etiam eandē probavimus supra Cap. preced . §. ult. n. 37. propterea tamen Advocatia Ecclesiæ , ratione tuitionis Universalis Ecclesiæ , seu totius Religionis Christianæ negari nequit , sed sic à diversis mala omnino fit illatio . Eam enim supponit (1.) textus Artic. nostri i. ibi : **Die Christenheit/ Item die Christliche Kirchen/ als derselben Advocat, in guten treulichen Schutz und Schirm halten.** Quæ verba etiam in Capitulatione Caroli V. & subsequentium Imperatorum omnium habentur . Cum quibus conformia habet *Aurea Bulla* Tit. 2, §. 2. in Formulâ Juramenti , quam Electores ante Electionem Imperatoris jurant , quod scilicet debeant eligere temporale Caput Populo Christiano , id est , Regem Romanorum in Cæsarem promovendum ; Ut & (3.) Rec. Imper. Augustani Anni 1518. in princ. & Anni 1530. §. Nach dem aber uns 10. & passim , ubi vocatur der obriste Vogt und Schirm - Herr der Christenheit . Quæ verba vi vocis Advocatiam aliquam Ecclesiæ Particularis denotare non possunt , sed potius Universalis Ecclesiæ defensionem innuunt . Uti enim (4) Ecclesia & Religio Christiana universaliter considerata in hisce terris Defensorem & Directorem quasi communem requirit ; Qui ea , quæ ad pacem & Concordiam , Ecclesiæ conservandam , ad Christiani nominis hostes debellandos , adeoque ad defendendam Religionem Christianam sunt necessaria , observet , dirigat , & disponat ; Ita communi-

B

ni ferè

CAP. II. DE ADVOCAT. ECCLESIE

ni ferè Gentium Christianarum suffragio nulli alii meliori jure
quam Imperatori Romano, utpote IVtæ Monarchiæ Capiti,
10 competere poterit. Sunt enim, (5.) uti *Hugo Grotius de Jur.*
Bell. & P. lib. 2. cap. 15. num. 12. ex I. Cor. 12. vers. 18. & 26.
piè observat, omnes Christiani Christi unius corporis membra,
quæ jubentur alia aliorum dolores ac mala persentiscere; Et si-
cū id ad singulos pertinet; Ira & pertinet ad Populos, quæ Po-
puli sunt, & ad Reges quæ Reges, adeoque maximè ad Imperato-
rem Romanum, tanquam Regem Regum. Neque enim pro
se quisque tantum, sed & pro mandata sibi potestate servire Chri-
sto debet; cùm, prout demonstramus in *Institution. Jur. Nat. &*
Gent. Part. Gen. Sect. 2. c. 3. prop. 8. unusquisque quantum in se
est, verum Cultum Divinum promovere teneatur; Adeoque
uti Christiani singuli mala suorum membrorum condolent, ea-
que consolando, & quantum possunt, juvando sublevant; Ita
Principes & populi hostes debellando, iisque resistendo, Christia-
nam gentem defendunt.

S. 3. Objicitur quidem huic sententiæ, quod Imperato-
rivel Regi Romanorum Potestas aliqua in Christianos omnes &
extra suum Imperium, suasq; Terras degentes, adscribi non pos-
sit, cum dudum sit explosa illorum Interpretum sententia, qui
Imperatorem in L. *Axioms 9. ff. ad L. Rhod. de fact.* Dominum
Mundi ratione potestatis in universum Terrarum Orbem statu-
unt, cùm vel ratione Protectionis cum *Gothofredo ad d. L. vel Sy-*
necdochicè, ubi magna & nobilis pars Terrarum prototo sumi-
12 *tur, sit explicanda.* At enimverò, utut Imperator Potestatem
in reliquos Populos sibi non adscribat, Prærogativa tamen & di-
13 *gnitas Ipsi denegari nequit.* Nulla enim enim Gens Christiana
Ipsi litem de Præcedentiâ hactenus movere audet, dum primus
Orbis Christiani Monarcha audit, & inter omnes Mundi Prin-
cipes maximè præfulget, uti est in *Leg. penult.* & apud Doctores
14 *maximè Bald. ibid. C. de Bon. qua lib.* ita ut etiam Turcarum
Imperator

Imperator ipsum præcipuum Christiani Orbis Caput agnoscat, dum usitato stylo ita Eum affatur: quod Germanico Idiomate sic reddunt. Aus denen Potentiasen JESU dem Vornehmsten und unter denen Geschlechten JESU erwehlt vornehmsten HErrn aller Christlichen Völker / einen Versorger und Administrator der Gerechtigkeit / Unsern Nachbarn und guten Freund. Majestas enim Imperatoria est sine Pari, imò quasi Stirps ipsa, 15 cùm cæterorum Regnorū Reges sint quasi quidam Rami à magnâ illâ Stirpe avulsi; Unde etiam Alphonsus, Arragoniæ & 16 Neapoleos Rex, cùm Fridericum III. Imperatorem Neapolitani honoris cultu veneraretur, & propterea ab Aulicis suis admoneretur; ita lisdem respondisse fertur: *Vestrū non est judicare de Regibus; Nos Reges debemus omnes Reverentiam Imperatoris, tanquam Regi Summo, Ille est Caput & Dux Regum.* Et Barclajus in *Icon Animor.* cap. 5. dicit: *Tanti Nominis Sancti Majeſtas, Regesq; quanquam viribus sæpè majores, sponte tamen Imperorio Culmini concedunt.* Et quamvis Gallorum Scriptores Non nulli Regi suo adulantes, quo inter Bodinus, Sorellus, Amberius Alique, difficultates movere laborent; Tamen, uti Imperator in possessione vel quasi Præcedentiæ hactenus fuit; Ita nec Ipsi Rex Jus προεδρίας seriò urgere vel in urgendo subsistere velle hactenus est observatus, quod satis fundamentorum suorum infirmitatem ultrò arguit; Unde non tantum in Tractatu Pacis Monasteriensi, Noviomagensi & Ryswicensi, sed etiam in Conferentiâ Francofurtana ante aliquot annos habitâ, haud difficulter tandem cesserunt Galli. vid. quæ hanc in rem facientia tradit *Hovell. de Præced. Reg. in pr. Besold. de Præced. cap. 2. Limn. de 7. Publ. lib. 2. cap. 7. num. 25. seqq. & in utroque Addit. Vol. Gol. dast. in Seniore lib. 1. cap. 16. Crus. de 7. προεδρίας Lib. 3. cap. 2.* Hoc ergò posito, cùm suprajam sit probatum, Advocatiam non 19 requirere vel innuere Potestatem vel Subjectionem juxta illud vulgatum: *Schutz und Schirms Gerechtigkeit/gibt keine Obrigkeit;*

felt; Sed etiam inter æquales subsistere, & sufficere Prærogati-
vam dignitatis; Ultro ex inde patet, Primas in defendendo
Christiano Orbe Religioneque Christianâ esse deferendas Im-
peratori add. Carpzov. ad L. Reg. Germ. cap. 2. Sect. 1. Bœcler. in
Dissert. de Sacr. Rom. Imper. voce Sacrum.

20 §. 4. Consistit verò hæc ipsa Advocatia Ecclesiæ Uni-
versalis, uti breviter jam diximus, in *Conservatione Pacis & Con-*
cordia Ecclesiasticae, quam bene innuunt Verba *Capitulationis Art.*
1. ibi: Dazu Frieden und Einigkeit pflanzen/ aufrichten und vers-
fügen sollen und wollen; Quò scilicet quietè Deum colant, &
Christianæ Gentes pacatam habeant Matrem suam Ecclesiam,
21 uti dicit *Augustinus in Tr. 2. ad Johannem.* Ad curam enim Bo-
norum Ecclesiæ Advocatia hæc se non extendit, quam Impera-
tor in aliorum Regum & Principum Subditos, corumque Bona,
sibi non adscribit, sed eam Principi & Reipublicæ suæ cuique cu-
zzræ relinquit. Uti verò Pax & Concordia Ecclesiæ turbari pot-
est ab inimicis pariter internis atque externis; Ita etiam Eccle-
siam ab utrisque defendere incumbit Imperatori. Unde cùm
sæpè plus sit Paci Ecclesiæ metuendum mali ab hostibus internis
quam externis, malè Pontificii Scriptores, interque illos *Bellar.*
minus lib. 3. de Membr. Eccles. milit. cap. 18. defensionem Ec-
clesiæ in eo consistere dicunt, ut fraudes, Turbæ & mala externa
23 *ab Ecclesiâ arceantur.* Nam quamvis hæc facultas circa inter-
nos Ecclesiæ hostes versetur, Facultas tamen hæc adversus istos
hostes non est interna, seu circa operas ut vocantur Ministeriales
& Ecclesiasticas occupata, sed externa, seu quæ circa Ecclesiam
regendam, conservandam & defendendam modo quodam Ci-
vili versatur, adeoque utique summæ Potestati competit; prout
hæc demonstramus in *Prop. 6. cap. 3. Sect. 3. Part. Gen.*
Instit. Jur. Nat. & Gent.

CAP.

C A P. III.

DE IVRE ET OFFICIO REGIS ROMANORVM CIRCA PASSAGIA ET CONCILIA OECUMENICA.

I. Jus Passagiorum & Concilii Oecumenici deducitur ex Jure Advocacia. 1.

Infideles & Turca maximo odio habent Christianos, eosque Canes appellant. 2.

Quid inculetur Apostatae ad Religionem Turcicam deficien- ti? 3.

Quid sint Passagia, & unde ita dicantur, & quid Dux Passagiorum? 4.

II. Imperator merito Dux est fæde- ris contra infideles. 5.

(1.) quia Advocatus Ecclesia. 6.

(2.) quia dignior inter Socios Fæderis. 7.

(3.) Ex precibus solennibus Consecrando Cesari destinatis. 8.

(4.) Ex Testimonio Hungarorum. 9.

(5.) Et Francisci I. Regis Galiae. 10.

(6.) Ex Testimonio Hug. Grotii. 11.

(7.) Ex Expeditione Gothofredi Bullionai in Terram Sanctam. 12.

III. Turbis Ecclesie internis opponuntur Concilia. 13.

Et quare? 14.

Quid Concilium Oecumenicum? 15.

Quid Concilium Imperii? & an olim discrepaverit ab Oecumenico? 16.

IV. Imperator indicit & dirigit Concilium Oecumenicum. 17.

Probatur.

(1.) Ex communi Christianorum suffragio & Jure Advocatiæ 18.

Non minus occurrentum Hostibus internis quam Externis Ecclesiæ. 19.

(2.) Ex Historiâ Ecclesiasticâ, & quod Imperatores olim indixerint Concilia. 20.

(3.) Ex Rec. Imperii de A. 1532. §. 5. 21.

(4.) Ex Assensu Cleri acceden- te. 22.

(5.) Ex remotione argumenti con- trarii. 23.

V. Pontifici Jus indicendi Concilii non competit. 24.

B 3

Quia

- (1.) Quia destituitur potestate ex-
ternâ, ut ut eidem concedere ve-
lis internam. 25.
- (2.) Quia non potest simul esse Pars
et Judex, cum ut plurimum
causa in Concilio contra ipsum
Pontificem agenda. 26.
- (3.) Quia competit Imperatori-
- bus, ut probatum. 27.
- (4.) Imperatores interdum cum
Consensu Pontificis egere, quod
tamen non erat necessitatis. 28.
Quod etiam probat.
- (5.) Dictum Caroli V. Impera-
toris. 29.

§. I.

Diximus in Cap. preced. §. 5. Advocatiam Ecclesiæ consistere in primis in eo, ut Pax & concordia in Ecclesiâ conservetur, quò Christiani quietè Deum colere possint, & pacatam habeant Matrem suam Ecclesiam. Uti verò Pax illa & quies Ecclesiæ ab Hostibus æquè Externis atque internis turbari potest & solet; Ita etiam Advocate Ecclesiæ incumbit, ut utriusque Generis Turbis se opponat, & contra easdem ea paret remedia, quò Pax Ecclesiæ redeat, cultusque Divinus sine omni offendiculo & turba quietè celebrari possit. Unde Imperatori seu Regi Romanorum exinde natum est Jus seu officium circa Passagia & Concilia Oc-
cumenica. Cùm enim Hostes Christianorum externi maximè sint Ethnici & Infideles, interque Eos infensissimi & potentissimi Turcæ; quippe qui ex Regulis Impostoris sui Mahumedis ita prosequuntur odio Christianos, ut etiam *Canum*, quod maximè obsecnum apud illos est animal, nomine illos insignire non ve-
reantur, notate *Busbeg.* Epist. 1. & 3. Et *Bosius de Imperio Turc.*
3th. 53. ex *Wallichii Rel. Turc.* refert, Hodiecum illi, qui ad Tur-
cicam Religionem deficit, telum tradi hâc mente: Daz er nichte
allein den Alcoran in Ehren halten/ sondern auch wieder die Christen
seiner wegen streiken/ und keinen leben lassen wolle. Hinc contra in-
fensissimum illum Christiani Nominis Hostem inventa sunt
Passagia, seu *Fœdera* & *Expeditiones* contra illos infideles; qua-
rum præ reliquis Christianorum Regibus & Principibus Impera-
tori seu

CIRCA PASSAGIA ET CONCILIA OECUMENICA. 15

tor seu Rex Romanorum Dux statuitur. Vocantur enim Expeditiones dictæ Passagia à voce Celticā Passage, quæ & Transitum Exercitus sinen Durchzug / oder Heerzug denotat, ut ita Dux Passagiorum significet das Oberste Haupt eines wieder den Erbs Feind angestellten Heerzugs.

¶. II. Competit verò hoc Ius Imperatori communis. Gentium Christianarum suffragio, tūm (1.) quod totius Christianitatis Defensor est & Advocatus, prout Cap. præced. evictum, Immanitas autem Barbarorum & Christiano Nominis infensorum Hostium tutelam in primis requirat ; (2.) quod commodè. & cum aliquo effectu contra hostem adeò potentem, qualis est Turca, defensio illa fieri non possit, nisi communi inter Reges & Populos Christianos initio foedere, cuius meritò Dux Imperator seu Rex Romanorum ex prærogativâ dignitatis statuitur. Ex quo etiam (3.) occasio nata est, quod in precibus solennibus, consecrando Cæsari destinatis, propulsionis Barbarorum & Christiano nomini initicorum Hostium fiat mentio ; Et Hungari (4.) apud Freber. Tom. II. pag. 152. ad Imperatorem Fredericum III. dicunt, uti refert Joh. Antonius Campanus in Epist. ad Jacobum Cardinalem Papiensem in fin. Oportere Eum præcipuum Christianorum esse propugnatorem, qui idem sit Christianorum Imperator ; Et Franciscus I. Rex Galliæ ad Caroli V. Cæsaris Romæ factam querelam de Auxiliis ad Bellum Turicum mittendis ita respondit : Obuli inquit, liberaliter, quod Majores mei præstare sunt soliti, id me perlubenter esse Christianæ Reip. præstiturum, ut Copias scilicet meas omnes ipse præsens vel ad tuendam Italiam vel alio, quo cum rei postularet necessitas, educerem, ita tamen ut Cæsari nihilominus Principem eā in expeditione locum non gravarer ex officio cedere. Quemadmodum & (5.) Imperatorem Romanorum Principem illius Fœderis & Ducem Expeditionis communi consensu jam olim creatum dicit

Grotius

allianciam, secundum quod, ut in passione Universitate
mei Cœli

16 CAP. III. DE IURE ET OFFICIO REGIS ROMAN.

12. Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 15. th. 12. Et celebre in primis Exemplum est expeditionis, quæ Imperante Henrico IV. Duce Gothofredo Bullionæo, sub fine seculi XI. Anno nempe 1095. d. 15. Aug. in Terram Sanctam instituta, qua Urbs Hierosolyma Anno 1100. d. 7. Maji capta & Terra Sancta Turcis erepta. vid. Reusner. Vol. 1. in Anti Turc. Boecl. in dissert. de Sacro Rom. Imp. voce Sacrum.
- §. 3. Quod ad turbas Ecclesiæ internas, unde Pax Ejus & concordia conquassatur, ejusque hostes & Turbatores internos reprimendos attinet, inventum est remedium Pacis, Concilii nempe Oecumenici, seu universalis pariter ac Imperii, in quo veritas communi Christianæ gentis studio inquiritur, & quod Adversarii perperam statuunt, ab illa ex Sacris literis corrigitur & emendatur. Facilius enim invenitur, inquit Innocentius Papa, in Cas. de quibus 4. dist. 20. quod à pluribus Senioribus quæritur. Verus etiam re promissor Dominus ait: Si duo ex vobis vel tres conveniunt super Terram in nomine meo, de omni re quamcumque petierint, sicut illis à Patre meo. Dicitur Concilium Oecumenicum, describente Ziegler. de Iuribus Majestatis lib. 1. cap. 15. th. 18. illud, ubi plerique, iisque præcipui, Christiani Orbis Episcopi conveniunt, deliberant & decernunt, eorumque Decreta à singulis Ecclesiis Particularibus approbantur. Cùm contra Concilium Imperii sit, quod, quousque Potestas Imperatoris se extendit, cogitur. Quæ olim tam late patuit, ut cùm fere totus Christianus Orbis Cæsaribus pateret, parum sæpè discrepantia fuerit, inter Concilia Oecumenica & Imperii, ut non male Lampadius de Rep. Rom. Germ. Part. 3. cap. 12. §. 10. Oecumenica distinxerit ratione Orbis Terrarum, & Imperii.
17. §. 4. Indicit vero & dirigit Concilium Oecumenicum Jure suo Imperator seu Rex Romanorum potius, quam alius Christianorum Princeps; Idque (1.) communi Gentium Christianatum suffragio, quippe quod dignitatis prærogativa Eadem, si cuiquam alii, meritò adscribit, & Jus Advocatæ Universalis, uti Cap.
- 18.

CIRCA PASSAGIA ET CONCILIA OECUMENICA. 17

uti Cap. præced. dictum, id ipsum evincit. Æquè enim occur-
dum est, uti inquit Carpozov. ad L. Reg. cap. 2. sed. 3. Turbis &
Hostibus Ecclesiæ internis, ne in Eam irruant Lupi, & irrum-
pant tam Hæreses nocivæ, quām etiam Vita Ordine Clericorum
& Oeconomiæ Ecclesiasticâ indigna. Unde etiam (2.) ex Hi-
storiâ Ecclesiasticâ observare licet, quod Imperatores olim Con-
cilia Occumenica indixerint, vel saltem Ipsorum autoritate fue-
rint indicta. Quemadmodum Concilium Arelatense An. Christi
314. & Nicenum A. 325. à Constantino Magno; Sardiense A. 347.
ab Imp. Constantio & Constante; Lampsacenum A. 365. autoritate
Valentiniani; Constantinopolitanum I. An. 380. à Gratiano &
Theodosio; Ephesinum A. 431. à Theodosio; Chalcedonense An.
451. à Martiano; Francofurtense A. 794. à Carolo Magno est indi-
ctum. Imò etiam (3.) Carolus V. Imperator in Comitiis Ratis-
bonensibus, uti habet R. I. de An. 1532. §. Und so fern wir s. sub
Tit. Concilium betreffend ic. contestatus est: Dass Er von Amts-
wegen Fürsehung thun wolle / das Ihm von Kaiserlichen
Gewalt gebühre / und Er zu thun schuldig sey / und sonderlich in
Sachen des gemeldten Concilii, das so von grossen Nöthen sey. 22.
Quam assertionem Imperatoris, (4.) comprobarunt tūm
temporis, uti ex subscriptione dicti Recessus Imperii patet,
III. Cardinales. V. Archi- Episcopi. XXII. Episcopi, XXIII. Ab-
bates & Alii Comitorum Assessores. Et quamvis (5.) Impera-
tori in alios Principes summos nulla competit eosdem convo-
candi potestas, quod Argumentum urgent contra sentientes;
Fundamentum tamen uti juris Advocatiæ Universalis, ita quo-
que Juris circa Concilium Occumenicum non tam Potestatem
quam dignitatis prærogativam afferimus, quæ Imperatori uti
Cap. præc. dictum, denegari nequit. Vid. Petrus de Marca in Con-
cordia Sacerdotii & Imperii lib. 6. cap. 28. n. 12. seq. Norderman-
nus de Iur. Principatus lib. 22. Ziegler. de Iur. Majest. lib. 1. cap. 15.
§. 5. seqq.

C

§. 5. Qui

24. **S. 5.** Qui pro Pontifice Romano pugnant, Ipsiq; soli hanc
convocandi Potestatem jure suo adscribunt, Imperatori verò ean-
dem detrahunt, Eos gnaviter impudentes vocat Ziegler. *de Jurib.*
25. *Majest. lib. 1. cap. 15. n. 15.* Cum (1.) Pontifex, utut functionem
ipsi Ecclesiasticam & Ministerialem concedere velimus, digni-
tate tamen & Prærogativâ illâ , quæ ad hoc Jus exercendum re-
quiritur, & in potestatem Principis externam incidit, destituatur,
26. Et foret iniquum, imò quoquè absurdum , si contra Pontificem
ipsum, uti haud rarò & noviter in seculo præcedente, tempore
Reformationis Lutheri, contigit, causa peragenda, ut Judicis &
Directoris, simulque etiam Partis personam gerat. Unde etiam
factum , ut Protestantes Concilium ut vocatur, Tridentinum
27. plane non agnoverint. Contra potius Imperatori hoc Jus ex
fundamentis egregiis supra asseruimus , & quod Imperatores
olim, Imperii longè lateque extensi jure, Concilia Oecumenica
indixerint & illud jus in successores postcā derivaverint. Et li-
28. cet demus, Imperatores quandoque cum consensu Pontificis
egisse, cumque in consilium adhibuisse, raro tamen id ipsum fa-
ctum, quemadmodum Historiæ in supra memoratis Exemplis id
confirmant, ita ut diserte scribat *Socrates in Præfat. lib. V. Histor. Eccl.* Quod, ex quo Imperatores Christiani esse cœperunt , ex
illis pependerint res Ecclesiasticæ , & maxima quæque Concilia
29. eorum arbitrio tum facta sint antea, tum hodieque fiant. Unde
etiam Imperator Carolus V. *in Rec. Imperii Ratisbonensi de Anno*
1532. 5. Und so fern wir. 5. expresse dicit, quod ex officio Cæsarico
jus sibi competat absque consensu Pontificis consilium habendi
ibi: So fern wir von Bâbstlicher Heiligkeit / damit gemeldt Con-
ciliu[m] in Teutschchen Landen beschrieben und gehalten würde/ nicht
erlangen möchten / daß wir alsdann von Ambiswegen / Fürsehung
hierinn thun wolten. Et hæc de Advocatia
Universalis Ecclesiæ.

CAP. IV.

GAPUIT IV.

*DE ADOCATIA ECCLÆSIAÆ
PARTICVLARIS.*

I. Ecclesia Particularis dicitur quae est Imperii Romani. 1.

In Imperio Romano tres Religiones sunt sub tutela Cæsarea. 2.

Et I. Ecclesia Romano-Catholica cum Pontifice & sede Romana. 3.

Probatur (1.) ex officio Advocatiæ Universalis. 4.

(2.) Ex verbis Textus Capit. expressis 5.

II. Limitatur, ut scilicet fiat illa Advocatia (I.) Salvo Jure Imperatoris. 6.

Quod est jus constituendi & expressandi Pontificem. 7.

(II.) Ut fiat salvis Imperii Legibus Fundamentalibus. 8.

Non obstat, quod hæc clausula ad aliquot saltem Electorum instantiam sit inserta. 9.

(1.) Quia stipulatio est facta nomine Imperii 10.

(2.) Quia clausula illa non addit novam obligationem. 11.

(3.) Quia nec Reliqui Electores in illâ dissentient. 12.

Quia (4.) sententia contraria absurdum induceret. 13.

Additur (5.) Testimonium Seldii Vice-Cancellarii Ferdin. l. 14.

(III l.) Limitatur; Ut non sit plenior
Tutela quam quæ præstatur Pro-
testantibus. 15.

III. Electores Saxoniae & Brandenburgicus hanc Advocatiam Sedis Romanae Caesaris remittunt. 16.
Quod etiam ad Artic. 18. de Concordatis Nat. Germanicæ extenditur. 17.

Quando illa remissio primâ vice
Capitulationi est inserta. 18.

*Obsttit illi clausulæ remissoriæ
Ferdinandus l. 19.*

Ratio illius Clausula remissorie, 29.

Defensio tamen debetur Sedi Ro-
mane sc̄ Pontifici promissa.

mane & Pontifici promissa. 21.
Sed sine auxilio Protestantium, nisi
offensio Religionem Catholicam
concernat. 22.

IV. Tutela II. debetur etiam Ecclesiæ Evangelicæ. 23.

Probatur (i.) ex Officio Regis Romanorum Advocatiæ Universalis & Particularis. 24.

(2.) Ex securitate Protestantibus
per Pacem Religionis promissâ.

(3.) Ex aequalitate inter Utriusq.
Religionis Status introducta. 26

C₂ (4.) Ex

- (4.) Ex promissione Regis Romanorum expressâ. 27.
- (5.) Occurritur objectioni. 28.
- (6.) Probatur ex Praxi Imperii dum contra Turbatores Pacis Religionis decernuntur Mandata S.C. 29.
- V. Opponitur: (1.) *Advocatiam Protestantibus promissam esse contrariam Promissioni Cæsaris iuræ. 30.*
Nec (2.) *Advocatiam Ecclesiæ Romano-Catholicae promissam, posse ad alia extendi. 31.*
Et posse (3.) *Electores maximam partem Catholicos, illam promissionem Regi remittere. 32.*
- VI. Respondetur ad (1.) *Esse argumentum Eusebianum, cui responsum à Caramuele. 33.*
Advocatia Romana Sedi debita etenus promissa, quatenus Pacis Religionis non repugnat. 34.

Protestantes non sunt Heretici neque Civiliter nec Theologice. 35.
Respondetur ad (2.) *Non opus esse Interpretatione extensivâ cum adsint verba directa. 36.*
Etiam argumentum à pari presumptum hîc procedere. 37.
Respondetur ad (3.) *Electores obligationem Cæsari non posse remittere. 38.*
Quia (a) concluditur nomine Imperii. 39.
Quia (b) *Augustanae Confessioni addictis expressè Advocatia in Capit. est promissa. 40.*
Quia Mandatarius (c) vel Negotiorum gestor non potest in præjudicium Mandantis negotium retractare 41.
Nec Cæsar remissionem obligatio-
tis illius pro sancta sua fide,
erga LL. Imperii semper obser-
vatâ desiderat. 42.

§. I.

I. **Q**uod Jus & Officium Regis Romanorum circa *Advocatiam Ecclesiæ Particularis* concernit, id ipsum, in quo consistat ex antea dictis & quidem ad Cap. II. § 4. bene intelligere licebit. Hoc saltem hîc repetendum est, quod per *Ecclesiam Particularem* denotetur ea, que est *Imperii Romani*. Ut enim ibi per Pacem Religionis, & Instrumentum Pacis Westphalicæ tres Sectæ sunt receptæ, Lutheranorum, Romano-Catholicorum, & Reformatorum; Ita etiam tres illæ Religiones sub *Advocatiâ Ecclesiasticâ* ipsius Cæsaris sunt comprehensæ. Et quidem quod L. ad *Ecclesiam Romano-Catholicam*, Sedemque cum Pontifice

sice Romanam attinet, Imperator seu Rex Romanorum¹ (1.) est Advocatus Ecclesiae Universalis, adeoq; & illius, quæ in Imperio Romano deprehenditur, & Lege Imperii publicâ munitur; Et consequenter Advocatia Sedis & Pontificis Romani comprehen- 4 ditur, cùm uti secundum jam dicta tres in Imperio Romano Lege Imperii Publicâ receptas Religiones æqualiter defendere tenatur; Ita etiam ad Romano Catholicæ Religionis, & eorum, quæ ex Ejus hypothesis communiter approbantur, defensionem sit obligatus; Unde cùm Sedes Romana cum suo Pontifice sit inter præcipua Religionis Pontificiorum Capita referenda, Ejusdem quoq; defensio sub Advocatiâ Regis Romanorum continebitur. Sicuti etiam disertis verbi *in Articulo nostro I. Capitulationis Josephi*, & reliquarum omnium id est expressum *ibi*: *Dem Stul zu Rom / auch Bâbstliche Heiligkeit / in guten treulichen Schutz und Schirm halten*; idque adeò ut hæc Advocatia, quippe ex Potestate Regiâ resultans, olim etiam Administrationem Bonorum Ecclesiæ incluserit, quemadmodum observat *Limnaeus ad Cap. Caroli V. art. I.*

S. 2. Non tamen hæc Advocatia simpliciter, sed cum 6 limitatione & restrictione est intelligenda; Scilicet (1.) ut fiat *Salvo Jure Imperatoris*, quod in ipsum habet Pontificem, Secundumque Romanam, unde Ipsius jus est constituendi & ex justâ cau- 7 sâ rursus ex auctorandi Pontificem, uti probat *can. Hadrianus 22, & can. In Synodo 23. dist. 63. exemplumq; Ottonis I. & Henrici III. Carpz. ad L. Reg. Cap. I. Sect. 4.* Cùm Advocatia hæc Ecclesiæ in Imperio non tantum Dignitati sed & Potestati Cæsareæ sit accepta ferenda. (2.) Ut fiat *salvis Imperii Legibus Fundamentalibus*, Pace scilicet Religiosâ & Profanâ, nec non Instrumento Pacis Westphalicæ, per expressa Capitulationis verba *ibi*: *Dass solche Advocatia dem Religion und Profan - auch zu Münster und Osnabrück auffgerichteten Frieden zu præjudiz nicht angezogen und gebraucht werden solle/quæ primâ vice Capitulationi*

C 3

Ferd,

9 Ferdinandi IV. sunt inserta. Neque obstat, quod hæc saltem
 ad duorum Electorum, Saxonis & Brandenburgici Instantiam à
 Rege Romanorum sint promissa, cùm hæc ipia obligatio, duo-
 bus tantum Electoribus facta, æquipollat illi, quæ facta est omni-
 bus, cum (1.) facta sit duobus non suo tantum, sed totius Impe-
 rii nomine stipulantibus; Et Rex Romanorum etiam (2.) abs-
 que illâ Clausulâ, expressâ Lege Imperii Fundamentalî, ad id sit
 adstrictus, ita ut quicquid contra dictam Pacem statuatur, inane
 & nihili omnino declaretur, uti loquitur *Instrumentum Pacis*
 12 *Cæsareo-Sueicum Art. 5. §. 1. & passim.* Nec (3.) reliqui Elec-
 tores in hoc dissentire voluisse præsumi possunt, cùm (4.) mul-
 13 tum absurdi aleret doctrina contraria, adeò ut si Advocatia illa
 ratione Sedis & Pontificis Romani contra Pacem Religionis &
 Instrumentum Pacis intentari queat, Leges IIIæ Imperii Funda-
 mentales, tantâ Hominum strage partæ, tantoque cum labore
 & solicitudine sanctæ, planè conciderent & in nihilum redige-
 rentur, quod neutquam est statuendum; sed potius hoc firmum
 manet, quod Rex Romanorum Pontifici & Sedi Romanæ tute-
 lam ampliorem nunquam promiserit vel debeat, quam quæ sal-
 14 vis fieri Legibus Imperii potest. Quo etiam spectat (5.) Geor-
 gii Sigismundi Seldii Ferdinandi I. Imperatoris Vice-Cancel-
 larii Consilium apud Goldastum in Politischen Reichs-Händeln
 Part. 5. num. 3. Punct. 3. vers. Zum dritten / daß die Päpstliche
 15 Heiligkeit ic. (3.) Hæc quoque limitatio in textu nostro occur-
 rit; Ut tutela illa amplior & plenior non fit, quam quæ Protestan-
 tium Religioni addictis prestatur, ibi: Sondern denenselben glei-
 cher Schutz gehalten und geleistet werden solle. Nam quam-
 vis hæc verba ad Pacem Religiosam & Westphalicam referenda
 sint, ex intentione tamen Iporum Statuentium si eadem expli-
 ces, æqualitatem tutelæ quoad ipsam Religionem Ejusque Se-
 statores, quæ in Ultraque Pace intenditur, & concluditur, intel-
 ligi promitti, ultrò patebit.

§. 3. Ob-

§. 3. Observandum verò hic est, quod Electores illi ¹⁶
 duo Saxo & Brandenburgicus suo & suæ Religioni, seu Lutheranæ & Reformatæ addictorum nomine in Advocatiam Sedis & Pontificis Romani non consenserint, nec Regis Romanorum obligationem cò extendere voluerint, in verbis : Was da vom Stil zu Rom und Bäbstlicher Heiligkeit vor Meldung geschicht daß Ihre Lbd. Lbd. vor Sich und Ihre Religions-Berwandten darein nicht willigen / noch Uns damit verbunden haben. Quod idem etiam quoad Articulum ¹⁷ 18. ubi de Concordatis Nationis Germanicæ, aliisque Ecclesiasticis agitur, sancitur; ita ut, quatenus illa, aliaque ibidem proposita Sedem & Pontificem Romanum in specie concernunt, in Obligatione Regis Romanorum non comprehendantur, sed quoad ejus fieri potest, ratione Evangelicorum Ipse liber omnino sit ab Obligationis vinculo. Quæ ipsa limitatio obligationis, quæ olim omnibus Electoribus secularibus, Bohemo saltem excepto, postea tribus, Saxonii, Brandenburgico & Palatino, & hodiè duobus Prioribus placuit, tempore Maximiliani II. Anno 1562. primâ vice inserita, ad præsentem usque continuata est. Nam licet jam tempore Ferdinandi I. ea res sit agitata, ut dicta limitatio expressè Capitulationi insereretur, obstitit tamen tum temporis mutationi Ferdinandus & obtinuit quoque, prout docet Seldius in Consilio von der Käyser und Bäbste Gewalt apud Goldastum in Politischen Reichs-Händlen Part. 5. n. 3. Crediderunt enim Electores ¹⁹ ²⁰ Evangelici, qui Sacris Pontificis valedixerant, absurdum esse, Ejus, qui se, suæque Religioni Addictos infesto prosequebatur odio, & planè extinctos volebat, Patrocinium & Defensionem Imperatori commendare, eoque Ipsum obligare. His ipsis tamen non obstantibus, ex iis, quæ supra sunt dicta, ex Catholicorum Electorum factâ obligatione Rex Romanorum Sedem & Pontificem Romanum defendere quidē tenetur, Electores verò & Augustanæ Confessioni addicti Status defensioni illi Copiis & Auxiliis suis ²¹ ²² assistere

assistere non obligantur, nisi forte ipsū quoq; per Consequentiam tangat Imperium, vel offendio non tam Pontificem & Sedem Romanam, quām Ipsam Religionem Catholicam concernat. Hoc enim casu æquè contingere potest, ut, sicuti Imperator cum Statibus Catholicis Protestantes defendere tenetur; Ita etiam Imperator cum Protestantibus Catholicos defendere sit obligatus. Addantur quæ habet Limnæus ad Cap: Maximiliani II. Art. 2. & Carpzov. ad L. Regiam cap. 2. sect. 10. in pr.

32 §. 4. In primis vero maximi habendum, quòd Rex Romanorum ad Advocatiam & defensionem quoque II. Ecclesie

24 Evangelicæ se obligaverit. Si enim (1.) Imperator Advocatus est Ecclesiæ Universalis pariter ac Particularis in Imperio, ut hoc in antecedentibus demonstratum, erit etiam Advocatus Ecclesiæ Evangelicæ, quippe quæ inter Religiones in Imperio Romano receptas & Legibus Imperii, Sanctionibusque Pragmaticis munita deprehenditur. Unde etiam Electores, Principes & Status Imperii in Comitiis Ratisbonensibus Anni 1541. à Cæsare petiere: Daz Er als Advocat und Beschirmer der Christlichen Kirche die Puncten der Colloquenten (Qui à Cæsare ex Imperio electi, & pro conciliandâ Unione in dissidiis Religionis constituti erant) examiniren wolle / ob darinnen nichts wäre/ daß denen heiligen Lehrern und dem loblichen Gebrauch gemeiner Christlichen Kirchen zu entgegen seyn möchte/ solches und was sonst viels leiche vor Missbräuche in der Kirchenerfunden werden möchten / zu ändern / zu bessern und abzuschaffen. Rec. 7. de A. 1541. §. Aber

25 Churs Fürsten 19. Si etiam (2.) omnis securitas ejusque præstatio Augustanæ Confessioni æquè ac Romano-Catholicæ Religioni addictis promissa est in Pace Religiosa §. Und damit solcher Friede 15. Rec. Imper. de A. 1555. Et dicta securitas postea etiam ad Reformatos extensa per Instr. Pac. Cæsareo-Suecicum art.

7. Si porrò (3.) in laudato Instrumento Pacis Art. 5. §. 1. id de-
26 nuò est confirmatum, adeò ut, sicuti verba habent, inter Utrius-

que

que Religionis Electores, Principes & Status omnes & singulos aequalitas exacta, mutuaque esse debet, ita ut, quod uni Parti justum est, alteri quoque sit justum, violentia omni & viâ facti inter utramque Partem perpetuò prohibita, non attentâ Cujusvis seu Ecclesiastici seu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interpositâ contradictione vel Protestatione, quæ omnes inanes & nihil declarantur. Si denique (4.) ipsa expressa Regis Romanorum pro-²⁷ missio & obligatio in Art. 1. Capitulationis hoc disertis verbis enunciat, ibi: Sondern demselben gleicher Schuh gekeist werden solle wie wir Ihnen/denen zween Thür-Fürsten (Saxoni scilicet & Brandenburgico) dann auch solches krafft dieses versprechen/ und uns hiermit dazu verbinden; Quod ipsum primitus Capitu-
lationi Ferdinandi IV. est insertum, & postea majori cum ex-
pressione Capitulationi Leopoldinæ adjectum observatur. Nec 28
impedit (5.) quod ista Obligatio duobus tantum Electoribus sit
facta, cum supra jam demonstratum, illos hoc, non suo tantum,
sed totius Imperii nomine stipulatos esse, adeò ut idem quoque
reliquis Electoribus placuerit, vel secundum Leges Imperii fun-
damentales placere debuerit, neque Rex Romanorum inde ad
aliquid novi, sed ad quod ex utraque Pace alias jam fuit obliga-
tus, sit adstrictus. Si ergo hæc ita se habent, uti se habent, quid
mirum? Si Regem Romanorum dicamus obligatum, ut Eccle-
siam & quæ Evangelicam ac Romano-Catholicam defendat,
Eiusque Advocatus & Protector æqualiter existat. Unde etiam 29
(6.) ex Praxi Imperii observare licet; Quod, si Status Imperii
contra tenorem & securitatem Pacis Religiosæ ullo modo tur-
bantur aut inquietantur, Cæsarea Majestas per Summa Imperii
Judicia, Senatum scilicet Cæsareo-Aulicum, vel Augustissimum
Cameræ Imperialis Judicium, Mandata Poenalia de non offen-
dendo, turbando vel inquietando Sine Clausulâ, vel saltem Pro-
cessus decernat; prout ejusmodi Mandata legere est apud Gyl-

D

mannum

26 CAP. IV. DE ADVOCAT. ECCLESIAE,

mannum Symphorem. Tom. I. Part. I. Tit. 3. & alios rerum Cameralium Scriptores.

30 §. 5. Opponitur quidem (1.) Advocatiam illam Ecclesiis Lutheranorum & Reformatorum praestitam, non tantum in Ecclesiæ detrimentum tendere, sed etiam Promissioni Cæsar is juratæ esse contrariam; Cùm non possit Ecclesiæ Pontificique Romano protectionem & defensionem promittere & Principibus simul Hæreticis, uti Lutheranos & Reformatos malè vocant, in introducendâ & propagandâ Hæresi auxilio adesse, vel Jurisdictionem Ecclesiasticam contra eos sistere. Et quamvis (2.)

Imperator juxta Capitulationem Sedis & Ecclesiæ Romanæ sit Advocatus, non tamen id ipsum ad alia extendi posse, cùm Leges illæ Imperii sint strictæ interpretationis, ita ut ea in dubio sic facienda, ut quām minimum obligatio inducatut, in primis cùm Rex Romanorum in Capitulatione expressè ad Advocatiam Lutheranis & Reformatis præstandam expressè se non adstrinxerit.

32 Imò (3.) si vel maximè factum id esset, cùm tamen Sacri Romani Imperii Electores ferè omnes Religionem hodiè Romano-Catholicorum sint amplexi, Obligationi Imperioriæ eam in rem factæ gratiam rursus facere, eamque omnino remittere censi posse.

33 §. 6. Sed Argumento (1.) quod jam olim Personatus quidam Ernestus de Eusebiis ipsi Paci Westphalicæ frustra opposuit, jamdudum etiam à Romano-Catholicæ Religioni addictis Viris, in Specie à Caramuele in Sacr. Rom. Imperii Pace licitâ demonstrata est satisfactum. Negatur enim defensionem Ecclesiæ & Scholarum Protestantium Promissioni Cæsar is juratæ de protegendâ Ecclesiâ & Sede Romanâ esse contrariam, cùm Ad-

34 vocatia illa Romanæ Sedi debita, non sit absolutè & contra quemcunque indefinitè promissa, sed quatenus ea Legibus Imperii Fundamentalibus, in primis verò Paci Religionis & subsequento Instrumento Pacis Westphalicæ non repugnat. Unde etiam

PARTICULARIS.

27

iam est, quod in Capitulationibus posterioribus expressis Verbis cumque obligatione Cæsareâ expressâ sit cautum: Ne dicta Advocacia in præjudicium Pacis Religiosæ & profanæ, nec in fraudens Instrumenti Pacis Osnabrugensis & Monasteriensis allegari vel usurpari unquam queat. Ut raccēamus falsâ argumentum Eusebiani illius personati niti hypothesi; cùm tantum absit, ut Augustana Confessioni addicti dici possint Hæretici, ut non tantum id pugnet contra Leges Imperii, sed etiam contra Dei verbum & veritatem ipsam. Nunquam enim hactenus demonstratus ipsis est pertinax aliquis in Articulis Fidei error, qui hæreleos nomine venit, adeoque nec Hæreticorum nomine mactari possunt. Quod verò (2.) dicitur, non posse per quandam Interpretationem extensivam, quod de Catholicis est cautum, ad Protestantes extendi, ex supra jam demonstratis ultrò concidit, cùm non indigamus Interpretatione extensivâ, cùm expressa & directa Legis publicæ verba hic Nobis provideant. Quamvis nec argumen- tum à pari desumptum nobis sit invidendum, quod utique validissimum est; cùm ubi eadem ratio, eademque lex est posita, ibi quoque idem jus sit statuendum. Si enim Religio Romano-Catholica cum Religione Protestantium quoad omnia jura est exæquata, necesse etiam est, ut ipfi quoque circa Jus Advocatæ sit justum, quod Religioni Catholicæ est justum. Inst. Pac. Cæs. Suec. art. 5. §. 1. Quod denique ad (3.) attinet, Non est penes stipulantes Electores obligationem Cæsaream in Capitulatione præstitam remittere, cùm (a) illa non concludatur nomine Ele- torum, sed nomine totius Imperii. Id quod non solum exinde patet, quod nomine totius Imperii eligant Romanorum Regem, sed etiam Verba Capitulationis expressa id innuant. Dicitur enim in Ipsius Principio: Haben wir Uns mit unsern lieben Neuen / Oheimen und Chur-Fürsten vor Sich und sämtliche Fürsten und Stände des heiligen Röm. Reichs vereini-

D 2

veretni-

vereiniget. Et in fin. Solches alles und jedes/ wie obstehet / haben
 wir denen gedachten Chur-Fürsten vor Sich und im Mah-
 men des heiligen Römischen Reichs geredet/ versprochen
 40 und zugesagt. Imò de Jure Advocatiæ (b) expressè cautum,
 quoad omnes Augustanæ Confessioni Addictos, est his verbis:
 Daz Ihren Lbd. Lbd. Electoribus scilicet Protestantibus, und
 Ihren Religions-Verwandten gleicher Schutz gehalten
 41 und geleistet werden solle. Utiverò (c) penes Mandatarium vel
 Negotiorum gestorem non est, ea, quæ nomine Mandantis vel
 Ejus, cuius Nomine utiliter gessit negotium, pro lubitu rescinde-
 re, & jus inde alteri quæsitum rursus auferre; Ita nec Electores
 obligationem, Statibus Imperii Evangelicis & Ipsorum subditis
 partam, etiam si ne unicus quidem Protestantium Religionem
 amplius amplectetur, quod tamen Deus avertere, & veræ Pie-
 tatis Zelum in animis Imperii Magnatum plantare & conservare
 42 velit! Cæsari remittere valerent. Quamvis hic timor vanus
 sine dubio omnino sit futurus, cum tale quid ne quidem deside-
 raverit pientissimus Cæsar, sed potius, uti nihil habuit haecenus
 antiquius, quam fidem Imperio semel datam servare sanctè. Ita &
 in posterum habebit. Præ oculis enim semper habet illud Cæsaris
 Germanici apud Tacitum l. i. Ann. c. 53. Moriturum se potius, dicen-
 tis, quam fidem exuturum; Et Caroli V. gloriosissimi Cæsaris Eccio,
 Lutherum contra datam Salvi Conductus fidem morti tradere
 cupienti, respondentis: Etiam si Fides toto exularet Terrarum Or-
 be, Cæsari tamen eam tenendam esse, uti tradit de Ispo
 Just. Lipsius in Monit. Polit. lib. 1.
 cap. 13.

CAP.

[CARIN DE LIBRIS] 29 [CARIN DE LIBRIS]

CAPUT V.

DE JURE ET OFFICIO REGIS ROMANORVM CIRCA CONCILIA IMPERII.

I. Regi Romanorum competit *Jus circa Concilia Imperii.* 1.

Et fluit ex Jure Advocatiæ, quæ versatur circa conservandam Concordiam. 2.

Discordia res Ecclesiæ dilabuntur, Concordia servantur. 3.

Etiam in Republicâ uniformis debet esse Cultus. 4.

II. Unitas Religionis non vi impertranda, sed veritate persuasio-nis. 5.

Religio non potest cogi. 6.

Hinc in dissidiis Religionis bonum Remedium est Concilium seu Synodus. 7.

Si per Concilium non obtinetur Concordia, tolerandi sunt sub spe Conversionis aliter Docen-tes. 8.

Maxime si Pactis ipsis fides sit pro-missa. 9.

Omnium maxime, si diversitas Religionum Sanctione Præma-tica & Lege Imperii Funda-mentalii statuta. 10.

III. Concilia Imperii indicendi jus habet Imperator. 11.

Probatur (1.) *Ex Jure Advocatiæ.* 12.

(2.) *Ex potestare examinandi Doctrinam & corrigendi defec-tus Clericorum.* 13.

(3.) *Ex Potestate externâ circa Sacra.* 14.

(4.) *Ex textu Rec. Imp. de An. 1532.* 15.

IV. *Jus quoad Causas ad Concilium spectantes in Imperio, est Jus Co-mitiorum; Jus indicendi spe-ctat ad Cæsarem.* 16.

Requiritur tamen & hic Consen-sus Electorum. 17.

V. *Imperator est Director, & Judex Concilii.* 18.

Judicat tamen secundum Leges Imperii Fundamentales. 19.

In primis vero ad normam Pacis Religiosæ & Instrumenti Pa-cis Westphalicae. 20.

VI. *Jus Advocatiæ Imperatoris est maximam partem confirmati-vum.* 21.

Quoad tamen jus Conciliorum Im-perii quadantenus est limitatum. 22

§. I. Ex

§. I.

I EX Advocatiâ Regis Romanorum, quam Ecclesiis Particula-
ribus in Imperio debet & præstat, simili quoque ratione fluit
Jus & officium circa Concilia Imperii, quod Eidem non minus
2 competit & adscribendum venit, quam Advocatia ipsa. Cæsa-
ris enim est, seu Regis Romanorum, conservare Pacem & Con-
cordiam in Ecclesiâ, quippe in quo præprimis consistit Advocatiâ
3 Ecclesiastica, prout jam supra pluribus dictum; Uti enim in
unione, in uno Consensu, unoque spiritu totius Republicæ for-
ma, Ejusq; denique vires subsistunt; Et uti concordiâ res patvæ
crescunt, Discordiâ verò maximæ dilabuntur, omneque Regnum
juxta Dictum Salvatoris apud Matth. cap. 12. v. 25. dissensione
collabitur; Ita quoq; Pax & Concordia Ecclesiæ eandem fover,
4 conservat, salutemque ejus promovet; Unde etiam ex naturali
ratione demonstratur, Summæ Potestati incumbere, ut in Civitate
sua uniformis sit Dei cultus. Non enim unanimiter Deus coli
poterit in Republicâ, siquidem diversæ Religiones ibidem obti-
neant, sed neutri credere Summa Potestas censetur, quæ variam
seculatur. Prout hoc in Inst. Jur. Nat. & Gent. in Part. Gen.
Sect. 3. cap. 3. Prop. 3. demonstramus. Vid. & Ziegler. de Jur. Ma-
iest. lib. 1. c. 14. th. 2.

5 §. 2. Ut verò illa Unitas Religionis non ferro & flam-
mis impetrari potest, cum Religio sit Judicij interni & Consci-
6 entiæ, quæ non sub jacet Imperio Civili, sed potius unicuique ar-
bitrium suæ Conscientiæ & Religionis est relatum; Cum nemo
possit ex verâ Religione Deum colere nisi prius sciat, quæ vera
sit Religio. quod utique suæ cujusque conscientiæ est, judicij &
arbitrii; Adeò ut Summa Potestas præter potestatem directivam
partes hîc habeat nullas, sed coactiva Potestas omnino cessare de-
beat; Et optimè dicat Gregorius in Can. Qui sincera 3. Dist. 45. Blan-
dimentis non asperitatibus extraneos à Christianâ religione ad fidem
rectam esse perducendos; Et Augustinus in Can. 33. Caus. 23. qu. 5.

ad

Ad fidem nullum esse cogendum invitum. Hinc si dissidia, Schismata & Heretici in Ecclesia obviuntur, efficacius, & ad obtinendam, conservandam & recuperandam Ecclesiæ unionem & Concordiam aptius remedium est nullum, quam si convocetur Concilium seu Synodus ex Piis, Theologicè doctis & prudentibus Viris, Ecclesiæque Episcopis, qui ab omni pravo affectu propriaq; gloriâ sunt alieni, & non nisi veritatem, Deiq; gloriam veræq; Ecclesiæ incrementum ob oculos habent, qui invocato divino Numinе causam dissidiorum examinent, lites obortas componant & decidunt; add. quæ dicta *Supra Cap. III. §. 3.* Aut igitur obtinetur Concordia Ecclesiæ, aut minus; Illo casu res bene se habet; *Hoc verò in spem Conversionis, quamdiu quietè Religionis suæ adhærent, nec seducendo alios, Republicæ incommodū & periculum conciliant, sunt tolerandi Heterodoxi.* Quod si verò Pactis securitas vel Exercitiū Religionis Ipsiſis est promissum servanda utique sunt illa Pacta, nec fides ipſis fallenda. Si enim, uti Bodinus sit de Republ. lib. 5. *Fidem Hæretico frangere fas est,* dare certè nefas est. Quod multò magis procedit, si diversitas Religionum talibus Pactis, quæ Sanctionum Pragmaticorum & Legum Imperii Fundamentalium Naturam induunt, est munita; *Quemadmodum de Pace Religiosâ & Instrumento Pacis Westphalicæ in Imperio Rom. Germanico constat.* Unde etiam Augustanæ Confessioni addicti Catholicos, & Hi Illos in suis editionibus tolerant, liberumque Ipsiſis Religionis Exercitium, prout illud habuere aliquâ Anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti parte, juxta Instrum. Pacis Art. 5. §. 12. vers. *Hoc tamen non obstante, permittunt.*

§. 3. Talia autem Concilia Imperii indicendi & convocandi jus & officium est Cæsaris seu Regis Romanorum; Id quod probatur (i.) ex Jure Advocatiæ Ecclesiæ Universalis supra Cap. III. §. 4. Eidem assertæ; Si enim propterea jus ipsi est convocare Concilium Occumenicum, multò magis ad ipsum spe-
tabit

32 CAP. V, DE IVRE ET OFFICIO REG. ROMAN.

Etabit potestas cogendi Concilium Imperii, in primis cum etiam
 Jus Advocatiae Ecclesiaz Particularis eidem competere clarissime
 sit evictum supra Cap. IV. Quia (2.) ex commemorato Jure
 ipsi competit potestas secundum normam Verbi Divini, Leges-
 que Imperii Fundamentales examinandi doctrinam patiter ac
 vitam Clericorum; quosque deprehendit defectus, corrigendi,
 emendandi & removendi; uti habetur in Rec. Imper. de Anno
 1541. §. Aber Chur-Fürsten 19. supra allegato ibi: Dass Er (Im-
 perator) als Advocat und Beschirmer der Christlichen Kirchen die
 Puncten der Colloquenten examiniren wolle / ob darinnen nichts
 wär/ dass denen heiligen Lehrern und dem loblichen Gebrauch gemei-
 ner Christlichen Kirchen zu entgegen seyn möchhe; solches und was
 sonsten vielleicht für Misbräuche in der Kirchen erfunden werden
 möchten / zu andern zu bessern und abzuschaffen. Quia (3.) jus
 Concilii fluit ex Potestate circa Sacra externâ, adeoque uti cuivis
 Summæ potestati, ita etiam Imperatori seu Regi Romanorum
 erit adscribenda; Accedit (4.) expressus Textus in Rec. Imper.
 de 1532. §. Und sofern wir s. sub Tit. Concilium betreffend; ubi
 Imperator promittit, Förschung zuthun / dass Ihm von Käyserl.
 Gewalt gebühre/ und Er zuthun schuldig schy/ und sonderlich in Sa-
 chen des gemeldten Concilii. Quæ ipsa verba etiam de Concilio
 Imperii benè possunt intelligi.
 16. §. 4. Objicit quidem Lampadius de Republicâ Rom. Germ.
 Part. 3. c. 12. in fin. quod post Transactionem Passavensem hoc
 jus non sit amplius genes solum Cæsarem, cum spectet ad Jus Sa-
 crotum, quod Jus Comitorum sit factum & cum Statibus Im-
 perii communicatum; Accedit, (2.) quod Imperator nec solus
 indicat Comitia, sed prævio Electorum Consensu per Capitul.
 Caroli V. Art. 12. & Leopoldi Art. 17. adeoque nec Concilia
 Distinguendum tamen ad (1.) erit inter Negotia & causas ad Con-
 cilium spectantes, & inter jus indicendi & convocandi ipsum
 Concilium. Nam quamvis illæ ad Comitia & Ordines Imperii
 simul

Simul sint referendæ, hoc tamen soli Cæsari adscribendum venit.
De cœtero, quod ad (2.) observatur, merito Electorum Consen-
sum hodiè hic requirimus, cùm non minor circa Concilia pu-
gnet ratio, quam circa Comitia; Quamvis haud absurdè distin-
gui possit inter prædeliberationem, & ipsam inductionē seu Con-
vocationem, cùm utut salva maneat illa Electoribus, non im-
merito tamen hæc Imperatori sit adscribenda.

S. 4. Ut ergò Imperator seu Rex Romanorum Eccle- 18
siæ Advocatus & Protector est; Ut etiam Concilii Imperii, in
Controversiis Ecclesiasticis obortis, per antea dicta Judex est; Ita
etiam Studio Pacis & Concordiæ ita dare operam, Justitiamque
æqualiter administrare promittit, ut erga pauperes æquè ac divi-
tes absque respectu dignitatis & Religionis, etiam si causa Ipsum
Regem, Serenissimamq; Ejus Familiam concernat, exerceatur; Et
ne id fiat absque normâ, in Textu ad Constitutiones, Privilegia 19
& Consuetudines Imperii laudabiles fit provocatio *ibi*: Denen-
selben Ordnungen/Freyheiten und alten lôblichen Herkommen nach/
verrichtet werden solle. In specie verò Pax Religiosa, & Instru- 20
mentum Pacis Westphalicæ hodiè hic sub intelligenda, in quibus
quemadmodum circa Religionem Pax & Concordia in Imperio
servari possit, solicite cavetur;

S. 6. Tandem non est prætereundum omnino, Jus hoc 21
Regis Romanorum Advocatiæ Majesticum non esse Jus Re-
giū in Limitativum, sed potius maximam partem Confirmativum,
& majoris efficaciæ causâ Capitulationi insertum. Non enim
pro Limitatione Juris Imperiorii est habendum, quod Jus illud
Majesticum, quod Ipsi jure suo competit, etiam pro posse se ex-
erciturum, promittat, sed potius id ipsum magis confirmat. Quod
verò Jus Conciliorum Imperii, quæ ex Jure Advocatiæ Particula 22
ri fluunt, attinet, cum illud cum Electoribus & Statibus Imperii
quadantenus sit communicatum, catenus non immerito
limitativum statuitur.

E

CON-

114

CONSPECTUS COMMENT. ARTIC. I. CAPIT. JOSEPHI
Breviter Hic est. Continet enim
Jus & Officium Regis Romanorum circa Ad-
vocatam Ecclesiam. Ubi
De Advocatiâ Armataâ
in Generc, Ejusque
Definitione tam
Reali, quam
Nominali
Divisione variâ CAP. I.
Ecclesiae tam
Universalis, cuius consideratur
Subjectum, in quo residet.
Fundamentum, seu Prærogativa Dignitatis.
Finis, seu conservatio Pacis Ecclesie; Cap. II.
Modus, tam contra Hostes
Externos, Ubi Jus Passagiorum; Quam
Internos, Ubi Jus Concilii Occumenici. C. III.
Particularis seu Imperii Romani; Ubi consideratur
Defensio.
Romano Catholicae Ecclesiae cum
Sede Romana & Pontifice, cuius
Limitatio &
Remissio proponitur. Et
Evangelicæ. Cap. IV.
Modus defendendi, mediante Concilio Imperii,
Cap. V.

—**M**o**(****)**—



COROLLARIA.

Mater liberis alimenta praestando eorum negotium gerere censetur.

II.

Pacta hereditatis renunciativa valida sunt jure Canonum & moribus, non jure Civili Romano.

III.

Dolo qui causam contractu dedit, rei tradite dominium non transferre, verius est.

IV.

Iuramentum à Syndico præstari potest.

V.

Iuramentum à testibus præstari, est de essentia testimonii.

VI. Minor

VI.

Minor, propter juramentum corporale praestitum, ratione etatis in integrum non restituitur. Id quod usus Germaniae ferunt, quidquid alii dicant.

VII.

Vocabulum Semper-Fren non solum Baronibus, sed etiam Comitibus competere certum est.

VIII.

Capituli consensus, non Pontificis, in rebus aliquius Ecclesia infeudari non solitis ad Eadum necessarius est.

II

Ime Canonum Et mortuorum, mox Ime Cisterne 60.
Benedic



KOM

B. M. II, 116.
h. 24, 9.

CAPIT
MAN

JUR
REGI
AD

DN. F
PHIL. E
ALMA LU


PATR

OM.

VEN

J. GOT

EXCVD. J



X1878996
SEPHI RO
AUGUSTI
VLI I.

FICIO
MCIRCA
CLESIÆ
NO DEO
LISSIMO

EZSCHIO
SORE IN HAC
OMIT. PALAT. CÆ:
GRAVISSIMO.

PTORE SVO
LTU AETA:
D.

DITORUM

1 DCC.
H. HERTIUS

VM
LPIVS, ACAD, TYP.

